



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Capvt Tertivm. De forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

gium facere dicit. Exempla autem domestica Ecclesiae habentur apud Paulum, qui Ecclesiam salutatur quae erat in Aquilae & Priscillae domo, Nymphae quoque sive Nymphodori Ecclesiam, & Philemonis, id est, eorum familiam, quae Christiana erat & Ecclesiam constituebat, quoniam pars erat Ecclesiae catholicae. Alioqui conventiculum esset, non Ecclesia.

CAPVT TERTIVM.

De forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia.

I. **E**CCLIASTICVS ordo in tres praecipuos gradus dividitur; quorum primum & supremum Episcopi obtinent, secundum Presbyteri, tertium Diaconi, quae discrimina divino & apostolico jure sunt instituta. Etenim cum Christus Ecclesiae suae, quam in terris relinquebat, curam non omitteret, debuit non solum internis illam beneficiis fovere, quae à capite in corpus profluerent, sed etiam certam quendam & prudenti regiminis externi specie in perpetuum duratura aspectabile corpus illud administrare. Non defuit huic officio tam necessario. Constituit quippe in Ecclesia ad eam regendam quos ex om-

ni Iudæorum coetu elegit Apostolos, eosque plenissima ad hoc opus arduum auctoritate benignius instruxit. Ea porrò cum destinata esset ad mentes hominum in hoc vitæ ærumnosæ decursu ad beatitudinem aliquando adipiscendam dirigendas, non solum per doctrinæ Christianæ eruditionem, sed etiam per sacras expiationes & censuram divinam, quæ rebellium animos percelleret, spiritualis esse debebat. Eius generis fuit potestas illa quam Christus Apostolis suis tradidit: quæ variis in locis evangelii descripta, inde hauriri debet, ut vera eius cognitione imbui possimus. Non diffiteor quin res apertissima sit, si à cavillationibus ingenii, quas diversarum partium factiones peperere, bona fide abstineretur. Sed in tam abrupta adversus veritatem animorum contumacia difficile est illam à mendaciis obstrepentibus vindicare. Quæ tamen difficultas cum non peratur ex re ipsa, propositum meum de illa paucis differendi non retardabit. Id autem ut apertius fieri possit, quæ prolixis disputationibus implicatur potius quam docetur regiminis istius forma, compendio verborum in tres aut quatuor articulos conjicienda est & astruenda juxta genuinam sacrae scripturae & veterum patrum traditionem.

II. Christus Dominus noster Aposto-
 lis omnibus & singulis in solidum Eccle-
 siam suam fundandam, docendam, & re-
 gendam commisit, ea tamen lege adjecta
 ut Petrus inter eos primatum gereret &
 caput esset collegii illius apostolici, eo
 fine scilicet ut præter communem cum
 aliis curam, unitatis conservandæ in exer-
 cendo regimine sollicitudo præcipuè &
 specialiter illi competeret. Ideoque ut
 consilium illud Apostolis significaret, Pe-
 trum Christus veluti petram atque fun-
 damentum ad Ecclesiam ædificandam
 constituit. Præterea sermone ad illum co-
 ram ceteris specialiter directo, claves Ec-
 clesiæ postmodum ipsi tradendas spon-
 dit cum potestate ligandi atque solvendi.
 Quæ pollicitatio Petro facta ad ceteros
 quoque Apostolos pertinebat & ad Ec-
 clesiam universam ejusque pastores in fu-
 turum præficiendos, scilicet ut scirent
 omnes pontificii potestatem semper cum
 Petri Ecclesiæ capitis communionem &
 unitate retinendam; ad quod ipse præci-
 puè cum potestate ligandi contumaces
 huic unitati cogere posset.

III. Executio quæ hanc pollicitatio-
 nem secuta est, Apostolis ipsi, atque
 adeo Petro ex illis uni, potestatem ple-
 nam antea promissam contulit. Sed pau-

lò pòst seorsim auctoritas pascendi uni-
versi gregis Petro concessa est. Quibus
verbis promissa Petro capitis potestas pro-
tuenda unitate in universalis Ecclesiæ re-
gimine illi præ ceteris indulta est. Aliquid
enim specialiter datum necesse est intel-
ligi per sententiam Domini ter repetitam
post acceptam communiter eandem cum
aliis potestatem.

Ceteri quippe Apostoli sic una pote-
state instructi sunt in solidum ut ejus inter
se divisionem faciendam & verbis Domi-
ni & ex operis mandati natura non igno-
rarent. Præceperat Christus ut irent ipsi,
& universi orbis homines personaliter in-
stituerent. Porrò cùm singuli terras om-
nes peragrarè non possent, executio man-
dati divisione provinciarum inter se facta
illis aggredienda erat. quæ tamen parti-
tio non impedièbat quin solidum jus ad-
ministrationis penes unumquemque re-
maneret. Illo verò jure uti poterant etiam
in alienis provinciis, si aut proprii Apo-
stoli absentia aut Ecclesiæ utilitas eam cu-
ram exposceret. Quod simile est tutorum
potestati quos testator liberis suis plures
testamento dedit. Tutelæ jus in solidum
singulis competit in caput liberorum, at-
que adeo in patrimonii administratione.
Sed si sparsum sit patrimonium per varias

regiones, vel alias quoque ob causas, administratio dividi potest inter tutores: qui propterea non amittent jus illud solidum & commune quod habent in tutela gerenda, licet testator quoque uni è tutoribus specialem administrationis curam contulerit. Sanè compertum est Apostolos orbis regiones inter se divisisse, spiritu sancto eos ad partium assignationem excitante, ut postea ostendemus. Petrus quoque partem sibi excolendam assumpsit, quemadmodum & Paulus & reliqui Apostoli præstitere. Sed Petrus, præter specialem sibi assignatam partem, universum gregem à Christo pascendum & in unitate regendum suscepit.

IV. Quare dicendum est, ex Christi instituto regiminis ecclesiastici formam hanc esse ut diversis pastoribus committatur, quorum unus sit caput collegii ad tuendam unitatem; id est, ut politicorum verbis res explicetur, status Ecclesiæ est monarchicus ex aristocratico regimine temperatus.

V. Antequam verò auctoritas illa ad regimen perpetuum Ecclesiæ proponatur, distinguenda sunt privilegia personalia Apostolis concessa, quæ illorum obitu extincta sunt, à potestate reali quæ in successores eorum manavit. Hæc pri-

vilegia in eo versabantur quòd Apostoli à Christo ipso in collegium allecti erant excepto Matthia, quòd testes fuerunt eorum quæ docuit & mirabilium rerum quas patravit, quòd à spiritu sancto in veræ fidei professione eruditi, nec fallere nec falli poterant in docendis populis tum verbo tum scripto. Quartam quæ adhiberi solet notam, de prædicando per universum orbem evangelio, inferiùs discutiendam remitto.

V I. His demptis, reliqua omnis quæ Apostolis collata est à Christo auctoritas, ut penitùs necessaria est ad Ecclesiæ continuum regimen, ita in successores Apostolorum universa pertransiit. Hujus conferendæ pollicitatio Christi præcessit, quam deinde suo tempore executio subsequuta est. Consilium suum de constituenda Ecclesiæ & ejus regimine, quandiu Ecclesia perseveraret, aperuit verbis illis notissimis directis ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævallebunt adversùs eam. Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Oratio ista ad Petrum directa, qua Ecclesiæ ædificandæ & regendæ con-

filium proponitur, duos continet articulos; alterum de potestate danda, quæ clavium traditione futura significatur; alterum de modo illius tradendæ.

VII. Quod ad primum attinet, in dubium vocari non debet quin potestas conferenda ad omnes pertineret Apostolos: quoniam cum ad Ecclesiæ administrationem selecti fuissent à Christo, fieri non potest quin de illa quam habituri erant parte eo in munere Dominus cogitaverit; sicut apertè docent Cyprianus, Hieronymus, Optatus, Augustinus, & veteres omnes, qui pollicitationem Petro factam omnes Apostolos respicere asseverant. Quod attinet ad secundum, certum est ex iisdem illis auctoribus magnam hujus pollicitationis partem respicere Petrum præ ceteris Apostolis, ex eo quòd illa quæ reliquis confertur auctoritas promittitur verbis ad Petrum directis, quibus ipse quoque petra, ut fundamentum Ecclesiæ futurum, nuncupatur. In quo singulariter unitatis Ecclesiæ mysterium adnotavit Cyprianus & alii eum secuti, hoc nempe fuisse consilium Christi differentis in adloquendo singulariter Petro eique promittenda quæ communis illi futura erat cum collegis suis auctoritate ut unitatem ab uno incipientem demonstra-

ret, scirentque omnes Apostoli & eorum successores sic esse fundandam per diversas regiones Ecclesiam ut nihil discreparet ab unitate; cujus primus ille unus erat origo, radix, & prima fundamenti petra, quemadmodum rectè observavit Optatus Milevitanus.

VIII. Quod promiserat Christus, apud Matthæum, se facturum aliquando, partim perfecit antequam excederet è vivis, data eximia illa eucharistiæ conficiendæ Apostolis omnibus potestate. Post resurrectionem verò, plenam apostolicam auctoritatem collegio Apostolorum contulit, servato eodem discrimine quod in pollicitatione adnotavimus. Postquam in eos insufflasset, formula solenni usus dixit: *Accipite spiritum sanctum. Sicut misit me vivens pater, ita & ego mitto vos. Euntes in universum mundum, prædicatè evangelium omni creaturæ. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis continetur universa auctoritas necessaria ad regendam Ecclesiam, quæ ad Episcopos Apostolorum successores manavit, jus docendi evangelium, administrandi baptismum, & in eo consignandi ad dandum spiritum sanctum, (quæ duo conjungi debebant, ut discimus ex Actis) jus ligandi

five retinendi peccata, id est, censuris adversus reos utendi, potestas quoque solvendi tum à censuris ipsis, tum à peccatis, & postremò auctoritas mittendi alios ad idem ministerium implendum, quemadmodum Christus missus fuerat à patre cum eadem substituendi potestate, in quo consistit jus ordinationis. Attamen noluit Dominus Petrum prætermittere quin eum quoque solum alloqueretur in executione promissi quod ad eum solum directum fuerat. Quare Christus triplici interrogatione Petrum provocatum, an se amaret, ter pascendi oves & agnos suos potestate ornavit. Non dubitant veteres quin hæc pascendi gregem auctoritas, quæ omnia regiminis episcopalis munia uno verbo complectitur, verbis quoque illis cum Apostolis communicata fuerit, sed ita ut mysterium unitatis ab uno profectæ conservaretur, ut superius monuimus. Hoc significare voluit Innocentius I. cum ait episcopatum exordium sumpsisse à Petro, & post eum Leo primus; quoniam ejus institutio promissa fuit Petro, & eo pacto ad ceteros Apostolos manavit. Pari quidem præditi erant consortio honoris & potestatis cum Petro; sed hæc initium sumit à Petro ut unitas Ecclesiæ demonstraretur, sicut loquitur Cyprianus, & ut capite constituto,

schismatis tollatur occasio, quemadmodum loquitur Hieronymus. Quare sicut in Apostolos nullum cadere poterat erroris aut schismatis periculum, atque adeo nullæ contra illos censuræ locum habere poterant, nulla quoque Petro in illos competeat judiciaria auctoritas. Ad illud solum tenebantur, ut quas fundabant Ecclesias subjicerent unitati & petrae primariæ adjungerent, ne alioqui schismaticæ essent, ut monuit Optatus.

IX. Hic quæri potest an saltem in mittendis Apostolis jus aliquod ex vi primatus Petro competeret. Quod in eam incidit discussionem quam nos facturos monuimus, an jus per universum orbem prædicandi, quod Apostolis collatum fuit, sit privilegium personale, an verò sit potestas realis. Omnibus persuasum video hanc potestatem in Petro fuisse ordinariam, quæ transeat in successores, in aliis verò Apostolis fuisse extraordinariam sive delegatam, quæ morte illorum extincta fuerit. Quæ distinctio potestatis extraordinariæ & ordinariæ cum nullo scripturæ fundamento nitatur, imò verò disertis illius verbis repugnet, quæ de omnibus in commune Apostolis loquitur, nos, ut puto, veriore & faciliorem insistemus viam in hac difficultate solvenda. Existimamus ergo

potestatem docendi per universum orbem toti Apostolorum collegio concessam & singulis è collegio. Quatenus universitati competit, remansit in Ecclesia penes Episcoporum collegium, & præcipuè penes collegii præsidem. Quatenus autem singulis Apostolis erat data, eorum morte extincta fuit.

X. Ista definitione posita, superest ut respondeatur quæstioni propositæ, an Petro jus competeret mittendi aliquem ex Apostolis, etiam invitum. Quæ inutilis omnino est quæstio; nec dubitari potest quin cui totum competit, partem aliquam sibi eligere possit. Ut autem istæ dissensionum occasiones præciderentur, prudenter provincias inter se partiti sunt Apostoli, præcipuè cum nullus eorum posset omnes peragrare. Exemplo autem isto missiones in barbaricas regiones, id est, extra Romani imperii terminos sitas, synodus Constantinopolitana reservavit iis Episcopis qui earum curam gere-re solebant, scilicet præcipuis thronis erga provincias suis tractibus viciniore. Ea de causa Alexandrinus Episcopus Æthiopiæ consulebat, Antiochenus Indiarum Ecclesiis. Cæsariensis in Cappadocia majoris Armeniæ Ecclesias ordinabat. quod jus deinde, post subjectam Constantino-

litanæ sedi Cæsaream, in illam devolutum est. Romanus jure patriarchico occidentis quoque provincias in barbarico constitutas curabat; quamvis jure primatus omnibus consulere posset, saltem negligentibus suum officium reliquis Patriarchis.

XI. Sed ut ad primum consilium Christi in Ecclesiæ regimine instituendo redeamus, ex superius dictis patet collatam collegio Apostolorum regendi auctoritatem, ea lege ut Petrus præesset Ecclesiæ unitati, eamque custodiret. Defunctis autem Apostolis non est everfa semel constituti regiminis forma & nova substituta; præcipuè cum prior illa necessaria non esset temporibus Apostolorum, nisi quatenus intererat formam regiminis semel constituere quæ in perpetuum esset observanda. Itaque in Episcopis quos Apostoli in locum suum substituerunt debet vigere idem administrationis & regiminis status. Rerum summa & infallibilis potestas erit in collegio Episcoporum conjuncto cum præside unitatis. Hac est enim sententia horum verborum, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, id est, adversus Ecclesiam ædificatam supra petram, conjunctam nempe & adhærentem petrae
sive

sive præfidi unitatis. Porrò cum Petrus fuerit constitutus à Domino petra & caput unitatis Ecclesiæ, sine dubio is Episcopus qui Petri locum possidebit, dignitatem quoque & auctoritatem capitis in se suscipiet. Locus autem Petri est Ecclesia Romana, ut inter ceteros disertè docuit Cyprianus. Ex quo sequitur in Episcopo Romano residere primatum in Ecclesiæ regimine à Christo constitutum. Quare poterit ille ex officio & vi potestatis sibi collatæ unitatem tueri, erudiendo ignaros, & contumaces ligando sive censuris percellendo, cujuscunque sint conditionis, sive Episcopi & clerici, sive laici. Unitas autem violari potest aut hæresi aut schismate. Exerere ergo poterit potestatem illam in his unitatis scissionibus: quæ tamen si à parte Ecclesiæ non contemnenda fiant, ut majori cum fructu remedia adhibeantur, adhibita Episcoporum synodo, quæ collegium universum repræsentat, docendi sunt qui errant, & corrigendi nisi resipiscant, Petri Apostoli exemplo, qui eam formam secutus est in controversia dirimenda de servandis ritibus legalibus. Eadem quoque distinctione adhibita Leo primus post damnatam à se cum synodo Romana Eutychianam hæresim Legatos suos in Orientem missos mo-

*Vide lib. 5.
De concord.
cap. 8. §. 3.*

nuit ut communionem negarent iis Episcopis qui suæ sententiæ subscribere nolent; si autem magna pars Episcoporum refragaretur, tum à Marciano Imperatore synodum generalem cogendam peterent, in qua renitentes doceri possent.

XII. Augustinus ait Petrum Ecclesiæ personam repræsentasse quando illi datæ sunt claves quæ tunc sunt datæ Ecclesiæ, Caietanus & alii aiunt datas Ecclesiæ, id est, in Ecclesiæ utilitatem. quæ explicatio est frigida. Gerson ait datas Ecclesiæ fontaliter, ut Ecclesia eas deinde daret Petro & reliquis. quæ falsa, quia potestas spiritualis data est tantum ministris principaliter. Coeffeteau ait datas Ecclesiæ, id est, Petro & ejus successoribus. quæ sapit stylum curiæ Romanæ. Mihi videtur datam Petro potestatem, quia repræsentabat Ecclesiam ob primatum inter discipulos, inquit Augustinus, datam ergo Ecclesiæ, id est, corpori mystico Christi, quod constat ex Episcopis & plebe fidelibus. Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, inquit Cyprianus. Data est ergo potestas Petro principaliter, & in eo omnibus Apostolis & Episcopis in perpetuum, ut eam in Ecclesiæ unitate exercent; extra quam unitatem potestas illa spiritualis esse non potest. Data Ecclesiæ, quæ eligit mini-

stros & ordinat, & statim potestas hic data à Christo communicatur ordinibus. Claves datæ Petro, ceteris deinde communicandæ, ut ait Optatus.

*Vide Cas-
san. lib. 3-
de incarnat.
cap. 12.*

XIII. Pares honore & potestate Apostoli. Variè hoc intelligitur. Bellarminus quoad amplitudinem in subditos pares, sed inter se impares quoad modum regiminis, quod soli Petro commissum est. Puta pares fuisse inter se in omnibus, regimen quoque illis commissum quoad servandam unitatem. Sed in executione pariter illius potestatis tenebantur Apostoli fundare Ecclesias in unitate; cujus caput cum esset Petrus, illius communioni eas subicere tenebantur, ut docet Optatus. Ceterum ipsi unitatem quoque conservabant, violatores corrigendo, ut fecit Paulus in epistola ad Corinthios. Quod manavit in Episcopos, qui jus idem habent, ita tamen ut singuli & universi ab unitate capitatis pendeant.

Statim atque Christus doctrinam suam propalare incepit, multos habuit sectatores, qui discipuli vocantur generali nomine in evangelio. Ex eorum numero duodecim selegit perpetuos sibi comites futuros, individuos in comitatu & in convicatu, ut loquitur Tertullianus. Eorum nomina recensent Evangelistæ Matth. x.

Marci III. & Lucae VI. Verba Matthaei:
Duodecim Apostolorum haec sunt nomina. Pri-
mus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater
eius, Iacob Zebedaei, & Ioannes frater eius, Phi-
lippus, & Bartholomaeus, Thomas, & Mat-
thaeus publicanus, Iacobus Alphaei, & Lebbeus
cognominatus Thaddaeus, (qui Iudas Iacobi
dicitur Lucae VI.) Simon Cananaeus, & Iudas
Iscaariotes, qui & tradidit illum, id est, Chri-
stum. Illos vero per gradus veluti quos-
dam ad plenam apostolatus functionem
evexit; cuius praecipuae partes ad tempus
fuscitati e mortuis Christi cum pertine-
rent, integram tunc potestatem illis con-
tulit. Interim vero praesens & in homi-
num convictu degens, in rudimentis &
veluti tyrociniis quibusdam apostolatus
eos exercuit, augendo illos ipso Apосто-
lorum nomine; cuius origo non aliunde
petenda est quam ex usu Graecanicae lin-
guae apud Iudaeos Hellenistas, qui Missos
cum mandatis ἀποστόλοις vocabant, quos
Legatos Latine dixeris, ut III. Reg.
cap. XIV. ex septuaginta interpretum ver-
sione redditur Apostolus, qui Hebraice
אֲפֹסְטוֹלוֹס. Quae dictio in Thalmudicis libris
eos significat qui decimas atque alia per-
cipiebant, & ad Levitas deferebant; qui
dicuntur ἀποδοχῆς sive susceptores in edic-
to Augusti ad Asiae civitates, & eorum

functio *ἀποστολή* apud Iulianum in epistola ad Iudæos & apud Epiphanium. quod nomen mansit post urbis excidium. Nam Patriarcharum in dispersione constitutorum assessores vocabantur *ἀπόστολοι*, teste Epiphanio. In codice Theodos. tit. De Iudæis, Apostoli vocantur qui summam pecuniæ à Synagogis exactam ad Patriarchas suos reportabant. Christus itaque quos mittere decreverat velut Legatos ad mandata sua in populos perferenda fructumque castigatæ vitæ velut decimas ad se reportandum Apostolos dixit; qui Christi legatione fungebantur, ut loquitur Paulus. Porro Apostoli dictionem *ἀπό τοῦ ἀποστέλλειν* derivatam non solum docet Grammatica, sed etiam verba Marci cap.

III. *Καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ᾧσι μετ' αὐτοῦ, ἕνα ἀποστέλλῃ αὐτοῖς κηρύσσειν.*

XIV. Duodecim numero eligit Christus, quoniam spiritale regnum extructurus exprimere voluit reipublicæ Iudaicæ imaginem, quò clariùs appareret regni æterni promissiones in ipso solidè impletas. Sicut enim tribus duodecim, ita duodecim erant phylarchæ eximia dignitate, ad quam alludunt verba Christi Matthæi xix. & Lucæ xxii. quemadmodum docuit vir eruditissimus Hugo Grotius in adnotatis ad caput decimum Matthæi & alibi. Procures seu

capita cujusque tribus (ideo dicti phylarchæ) in veteri statu regni Israelitici proximè ad regiam majestatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus solium sedebant in sellis curulibus. Vnde Christus in judicando confessuros secum Apostolos in duodecim sedibus pollicetur Matthæi xix. Enimverò quoniam in regno Israelitico duo primi loci erant τριφυλαρχῶν tribuum Iudæ & Iosephi, hos honores videtur deposcere Salome filiis suis Iacobo & Ioanni, petens ut alter sedeat à dextris, alter à sinistris in regno Christi, Matthæi xx. Quamquam autem ob duplam Iosephi liberorum portionem factæ erant tribus tredecim, solent tamen plerunque nominari duodecim Actor. xx. Iacobi i. quia Levitica nullas habebat sedes seorsim, ac proinde nec proprium μεειδάρχην.

XV. Diximus Apostolos initio electos à Christo, scilicet ut testes essent vitæ, doctrinæ, & resurrectionis ejus, Ioannis xv. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Adde Actor. i. & x. Vnde Paulus se Apostolum prædicat quia vidit Iesum Christum Dominum nostrum. Rectè igitur Tertullianus in libro de pudicitia ait Apostolos assumptos à Christo ut

1. Cor. 9.

testes omnium gestorum essent. Idem de præf-

cript. cap. xx. *Quis integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse quos magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in discipulatu, in convictu?* Paulinus Nolanus epist. xi. *Quia Apostoli in orbem terrarum mittendi forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantum sed & oculis prædicandam fidem capere debebant; ut quod firmiter didicissent, constantius edocerent.* Primus gradus potestatis quam Christus illis contulit substitit in eo ut intra Palæstinæ fines Iudæos ad melioris vitæ susceptionem hortarentur & ad Christum audiendum pertraherent, à qua accepturi essent cetera quæ ad salutem & regnum cœlestem, quod proximum erat, ipsis erant necessaria, addita potestate miracula patrandi ad obsequationem eorum quæ docebant. Deinde verò gustum quendam illis dedit pleni quod exercere aliquando debebant magisterii, verbis illis celebratissimis quibus post professionem de divinitate Christi editam à Petro, hujus fidem eximio præmio rependit, & consilium suum de constituendo in futurum Ecclesiæ suæ regimine aperuit. Matthæi xvi. *Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præ-*

Matth. 10.
& Marc. 3.

valebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.

XVI. Pro aperta & libera nominis sui confessione à Petro facta voluit Christus illi reponere aliquid sublime quoddam Ecclesiam quoque suam pertineret, quæ fidei illi potissimum inniti debebat. Quod ut perficiat, orditur à mutatione nominis, adeo ut qui Simon Bar-Ionæ proprio & familiari nomine vocabatur, esset in posterum Cephas sive Petrus; communicato illi nomine appellativo Christi, qui petra dicitur & lapis angularis ædificii spiritualis. Ex illa communione nominis voluit intelligi asciscendum Petrum in societatem illius ædificii construendi, & in eo opere dirigendo proximum à Christo, & auctoritate ab eo derivata principalem administrum futurum. Quod non ex conjecturis ducitur, sed ex ipsis evangelii verbis. Rationem enim redditurus Christus cur novum Petri nomen contulisset his verbis, *Tu es Petrus*, subjungit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est, te præcipuum Ecclesiæ ædificandæ fundamentum asciscam, tibi ut præcipuæ post petram Christum petrae Ecclesia innitetur. Quod ab ejus soliditate recedet, corruet

ædificium; nec poterit primariæ & angulari Christi petræ conjungi quod nexum non fuerit cum secunda illa petra quæ toti ædificio velut fundamentum proximum à Christo substernitur.

Sanè proposito mutati nominis conveniebat ut novitatis hujus ratio aperiretur. Ita de Abrahamo dictum quando ex Abram factus est Abraham: *Nomen tuum erit* Gen. 17:

Abraham, quia patrem te multarum gentium constitui. Sic de Iacobo: *Israel erit nomen tuum.* Gen. 32. &

Nam ut principem te geris apud angelos & ho- 35.

mines. Eodem modo Christus ait: Petrus à me nominaris, quia eris quasi petra in ædificio Ecclesiæ. Observandum hic est Christum Syriaca lingua locutum, qua nomen *Cephas* Simoni indidit, ut docet Ioannes cap. 1. ubi statim à vocatione promissa est Simoni nominis mutatio, quæ postea apud Matthæum exhibetur: *Tu es Simon filius Ionæ. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Eadem illa vox *Cephas* Syriacè & petram significat & hominem Petrum. Hieronymus in caput secundum ad Galatas: *Non quòd aliud significet Petrus, aliud Cephas; sed quòd nos Latine & Græcè petram vocamus, Hebræi & Syri propter linguæ inter se viciniam Cepham nuncupent.* Quare non est quòd existimemus Petrum esse nomen appellativum à petra ductum,

ut Ciceronem à cicere, Lentulum à lente; quamvis aliter visum fuerit Augustino ob non expensam istam Hieronymi animadversionem; sed est nomen proprium, translatum cum sua significatione in sermonem Græcum. Rectè autem Matthæus vel ejus Græcus interpret, Ioannes quoque, vocis Hebrææ genus mutavere, quia vir petra dici non poterat salva Græci sermonis regula. Ex eadem consideratione factum ut super petram ædificari dicatur Ecclesia, non autem supra Petrum, quia dictio *πέτρος* usitatè non significabat quod Christus volebat indicatum, nempe faxum tale super quod aliquid ædificari soleat. Quare mutatio generis facta est eleganter & opportunè in lingua Græca, cum eadem dictio *Cephas* retineatur in Syriaco sermone.

XVII. Quisnam verò sit futurus effectus hujus pollicitationis, explicat Matthæus sequentibus verbis, Petro scilicet tradendas regni cœlestis claves, ut earum ministerio ligare possit & solvere, claudere & recludere, omnemque ministerii apostolici partes pleno jure & speciali, quamvis non solus, exercere. De quo postea agetur; & docebitur Christum implevisse quod hic sponderat, data Apostolis omnibus & Petro auctoritate apostolica.

lica, cum eo discrimine quod hic significatur.

XVIII. Hæc quidem interpretatio satis aperta est. Sed in negotio tanti momenti necesse est ut vetusta patrum traditione fulciatur, ne videamur novam doctrinam orbi Christiano invehere, ut contra sui animi sensum novatores conqueri solent. Quod abundè cùm præstitum fuerit à viris eruditis, nos pauca veterum testimonia seligemus, quæ universalis Ecclesiæ mentem manifestiùs aperiunt. Sanè ex isto Matthæi & altero Ioannis loco colligere patres Petrum constitutum fuisse à Christo apostolici cœtus caput, principem, & coryphæum, remanente apud Christum eximia illa & suprema capitis dignitate & auctoritate. de quo copiosè egimus suprà. Petrus autem ea ratione caput dicebatur qua Samuel dicebat Saulem factum fuisse caput in tribubus Israel i. Reg. xv. Et Esaias cap. vii. Rasin vocat caput Damasci, & filium Romeliæ caput; velut à Pacato Drepanio Præfectus dicitur provinciæ caput, & vir caput mulieris ab Apostolo; ut significetur *Ephes. 5.* præcipua quædam auctoritas juxta subjectam materiam in eo qui dicitur caput.

XIX. Chrysofostomus homilia secunda in psalmum quinquagesimum. ὁ ἄλλος ἰ

ἐκκλησίας, ὁ κρηπίς τῆ πίστεως, ἡ κεφαλὴ τῆ
 ἐξ τῆ ἀποστόλων ὁ Πέτρος. *Columna illa Eccle-*
sia, illa fidei basis, illud apostolici chori caput
Petrus. Philippus Cælestini Legatus sy-
 nodum Ephesinam alloquens, *Non igno-*
rat, inquit, vestra beatitudo totius fidei
etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum
Petrum. οὐκ ἀγνοεῖ ὑμεῖς ἡ μακαριότης ὅτι
 κεφαλὴ ὅλης τῆ πίστεως ἢ τῆ ἀποστόλων ὁ μακα-
 ρίος Πέτρος ἀπόστολος. quod relatum est in
 acta synodi absque cujusquam intercessio-
 ne. Caput Apostolorum dicitur quoque
 ab Optato Milevitano, Hieronymo, &
 primatum vel principatum apostolatus ge-
 nere ab Augustino.

XX. Optatus Milevitanus Episcopus
 libro secundo adversus Parmenianum eo
 verbo utitur, & rationem ejus appella-
 tionis profert, scilicet ut Apostoli scirent
 Ecclesias in unitate cum Petro fundandas
 & regendas, eumque schismaticum & a
 compage corporis alienum qui propriam
 sibi Ecclesiam & à capitis sive Petri com-
 munionem alienam vindicaret. *Negare non*
potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram
episcopalem esse collatam, in qua sederent
omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Co-
phas appellatus est; in qua una cathedra unitas
ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singu-
las sibi quisque defenderent; ut jam schismatici

us & peccator esset qui contra generalem cathedram alteram collocaret. In quo loco expendendo amolienda est macula qua solet aspergi à novatoribus Optatus ignorationis linguæ Hebrææ, ac si putasset Cepham deductum esse à dictione Græca κεφαλή. Hoc tantum voluit, Cepham dictum à Christo, sive petram, cui collegii apostolici moles compaginari deberet. Quamvis nihil quoque vetet quin ad nominum in sono similitudines alluserit, Cephæ cum κεφαλή, quæ in rei significatione congruebant. Quod à Gregorio Nazianzeno & aliis Græcis usurpatur in voce πάχος; quam licet ab Hebræo Phase ductam non ignorent, ad passionem Christi significandam retulerunt, ἄπο τῆς πάσχειν, quia & sonus verborum & rei mysticæ significatione in idem congruebant.

XXI. Sed ad sententiam Optati ut redeamus, tria præcipua docet, quæ non à catholicis solum sed neque à Parmeniano Donatista negari posse contendebat, à Christo unam solam cathedram constitutam in Ecclesia; eamque Petro collatam in urbe Roma, qui hac ratione factus est caput Apostolorum, porro unitatem ab omnibus Apostolis servandam in illa una cathedra; ne si ab ejus unitate recedentes in Ecclesiis ædificandis aliam ca-

thedram constituerent, schismatici & peccatores haberentur. Nullum erat periculum ne scissa unitate Ecclesiae Apostoli proprias sibi Ecclesias defenderent separatas à communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat ut sciremus Apostolos quoque ipsos huic regulæ à Christo præscriptæ subditos fuisse. Pares quidem in ceteris erant Petro, sed in retinenda unitate eum respicere debebant ut totius collegii caput & rectorem unitatis, quemadmodum uberius explicabitur.

XXII. Unitatis itaque retinendæ in corpore universo necessitas cum à Christo caput instituendum exposceret, id ille pro sua divina sapientia præstitit; sicut docuit Optatus, & disertè quoque Hieronymus libro primo adversus Iovinianum: *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni caelorum accipiant, & æquo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Christus itaque inter duodecim illos Petrum selegit, caputque collegii apostolici constituit, ut schismatum occasionibus sublatis, unitas Ecclesiae servaretur, tum ab Apostolis, sed præcipuè ab Episcopis

eorum successoribus, qui hac singulari ca-
pitis potestate indigebant. Porrò hæc ca-
pitis auctoritas non impediēbat quin ex
æquo super omnes Apostolos Ecclesiæ
fortitudo solidata esset, ut observat Hie-
ronymus, cùm fideles superædificati di-
cantur super fundamentum Apostolorum, Ephes. 2.
licet in eo prima esset, post lapidem an-
gularem, Petri immobilis petra. Egregiè
nugas agunt qui ex priore Hieronymiani
loci clausula secundum evertunt, vel è
contrario, cùm utraque à viro cordato
proferatur, qui pugnancia inter se eadem
periodo non concluderet. Caput Aposto-
lorum est Petrus cum potestate dissidia
& unitatis scissiones amoliendi. in quo
specialis illi cura præ ceteris Apostolis
mandatur. Ex æquo tamen super omnes
Apostolos Ecclesiæ soliditas constituitur;
quia paris erant consortio potestatis præ-
diti, ut inferiùs dicetur.

XXIII. Sed æqualitatem Apostolo-
rum & præcipuum jus Petri huiusque
doctrinæ originem ex evangelio petitam
docebit nos vestitior Oprato & Hiero-
nymo Cyprianus, cuius hæc sunt verba:
*Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico
quia tu es Petrus, & super istam petram ædi-
ficabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non
vincent eam. Tibi dabo claves regni cælorum;*

& quæ ligaveris super terram, erunt ligata &
 in caelis. Et eidem post resurrectionem suam dicit
 Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omni-
 bus post resurrectionem suam parem potestatem
 tribuat & dicat, Sicut misit me pater, & ego
 mitto vos, accipite spiritum sanctum, si cui re-
 miseritis peccata, remittentur ei, si cui tenuerit-
 is, tenebitur, tamen ut unitatem manifestaret,
 unitatis ejusdem originem ab uno (Petro) in-
 cipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant
 utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari
 consortio præditi & honoris & potestatis. Sed
 exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia
 una monstretur. Ex quo loco disertè habe-
 tur Christum auctoritate sua disposuisse
 originem unitatis in Petro, non solum ut
 Ecclesiam unam esse demonstraret, sed ut
 unitatis quoque retinendæ modum insti-
 tueret, ædificata supra petram Ecclesia,
 & data illi specialiter pascendarum ovium
 cura, ut docent prima hujus loci verba.
 Quibus consentiunt ista ejusdem auctoris
 epist. LXXIII. ad Iubaianum: Petro pri-
 mum Dominus, super quem ædificavit Eccle-
 siam, ut inde unitatis originem institueret po-
 testatem istam dedit, ut id solveretur in caelis
 quod ille solvisset in terris. Horum verbo-
 rum & sententiæ Cypriani explicationem
 non aliunde sumere debemus quam ex
 Optato & Hieronymo, qui docent ad
 Apostolos

Apostolos quoque pertinuisse ut unitatem cum Petro, qui origo illius & caput institutus erat à Christo, sibi necessariò retinendam esse scirent.

XXIV. Sed excipies pari quoque consortio honoris & potestatis præditos fuisse Apostolos ex mente Cypriani. quod capitis auctoritatem imminuere videtur. Non me latent quas Turrecremata, Caetanus, Bellarminus, & alij in expedienda ista difficultate distinctiones adhibuerunt: quarum præcipua hæc est, pares illos fuisse quoad amplitudinem rerum gerendarum, sed non in modo & ordine agendi, id est, ut illi explicant, singulos Apostolos plenissimam habuisse potestatem in omnes Christianos, sed inter se fuisse impares, quoniam Petrus erat caput ceterorum. Attamen si quid in rebus istis video, contraria via ineunda est ad mentem Cypriani feliciùs & faciliùs percipiendam. Pares erant in consortio ejusdem potestatis, tum in fundandis Ecclesiis, tum in iis erudiendis atque regendis. Etenim non solùm Ecclesias singuli instituebant, sed etiam docebant & regebant, schismata & divisiones tollendo, ut fecit Paulus in Ecclesia Corinthiorum, & hæreticos excommunicando, ut Hymenæum & Phygellum. In quo pares erant Petro, qui

suas quoque speciales Ecclesias fundaverat, & jure sibi cum singulis Apostolis communi regere poterat. Itaque super omnes ex equo Ecclesie fortitudo solidata erat, ut docuit Hieronymus. Præterea pares erant in apostolatu, etiam inter se, cum neminem illorum Petrus nec ligare posset nec solvere ob speciale privilegium quo in vera fide fuerant à Spiritu sancto confirmati. Alioqui si ab officio desciscere per hæreses aut schismata potuissent, Petrus eos coëgisset ne turbarent unitatem. Id solum supererat Petro collato cum Apostolis, quòd esset caput unitatis, adeoque tenerentur Apostoli particulares Ecclesias subjicere huic unitati, ut docuit Optatus, cujus specialis custodia in universa Ecclesia erat penes Petrum. Vno verbo res ista comprehendi potest. Pares Apostoli inter se & in apostolatu; sed ratione habita ad unitatem Ecclesiarum servandam Petrus eximio jure & præcipuo erat caput unitatis, adeoque sub illo respectu erat caput Apostolorum.

XXV. Quòd si quis præfractè contendat Cyprianum significare Apostolos omnino inter se pares absque ullo discrimine, neque ratione unitatis retinendæ, neque alia ulla ex causa, is agnoscat se refragari Cypriano, qui manifestè docet

dispositam fuisse à Christo originem unitatis in Petro, ædificando Ecclesiam super illam petram, & oves pascendas illi committendo. Si respondeat in eo reperiri inæqualitatem quandam, reponam tamen agnitam à Cypriano, qui, excepto illo casu, in ceteris pares facit Apostolos. Vnde quemadmodum Optatus Petrum nuncupavit caput Apostolorum, sic Augustinus, Cypriani in lectione assiduus, dixit Petrum gessisse primatum inter discipulos. Et alibi declarat in eo fuisse apostolatus principatum. Si quis modum loquendi qui est apud Cyprianum disertè conscriptus, pares fuisse, sed cum aliquo discrimine in origine unitatis, concoquere vel conciliare non possit, vel etiam Hieronymi verba, ita super omnes ex æquo solidatam fuisse Ecclesiam ut Petrus fuerit caput pro tollenda schismatum occasione, loquatur ergo ille talis apertius cum Leone primo epist. LVIII. qui superiores sententias sic expressit: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut omnibus præmineret.*

*Enarrat. i.
in Psal. 108.
Tract. 124.
in Ioan.*

XXVI. Porò cum primatus istius originem ducamus à verbis evangelij, necesse est in eorum significationem penitus



inspicere & veterem traditionem in eis interpretandis sectari. In re quippe tanti momenti, quæ regimen Ecclesiæ perpetuum respicit, ingenio indulgere & conjecturis factiones in hac materia subortas fovere alienum est à pij & sinceri viri officio. Neque aliquid consequetur qui hac via grassabitur, cum divina Christi constitutio ad nos pervenire non possit nisi cum scripturarum auctoritate & earum interpretatione, quam vetusta & inconcussa traditio conservavit, ut docuit Vincentius Lirinensis.

Primatum itaque veteres ex eo deducunt quòd Christus Petrum constituerit petram & fundamentum Ecclesiæ ædificandæ, quòd illi claves regni cœlorum traditurum sponderit, easque pollicitationes executus fuerit quando ei pascendum gregem commisit.

XXVII. Sanè per petram juxta literalis sensus proprietatem universa Ecclesia, tum in occidente, tum in oriente, semper Petrum intellexit, neque ullus e patribus hanc interpretationem rejecit: imò verò omnes & singuli illam ut veram & genuinam amplexi sunt. Huic quidem receptæ ab omnibus explicationi superstruere alias quæ huic primæ & universali non officerent aliqui tentarunt, ut

Origenes & Ambrosius ; qui ad literalem sensum , quem ipsi quoque ponunt , moralem adjunxere , ad omnes fideles ea verba trahendo. Sic Epiphanius & alij , post agnitum petrae proprium sensum de ipsa Petri persona , alium quoque non ineleganter invexerunt explicandi & non evertendi primi causa , scilicet de confessione fidei à Petro facta. Qua de re inferius agemus , & de Augustini sententia , postquam literalem illam interpretationem citatis veterum testimoniis adstruxerimus.

XXXIII. Origenes homilia VI. in caput XII. Exodi : *Vide magno illi Ecclesiae fundamento & petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam , quid dicatur à Domino : Modicae , inquit , fidei , quare dubitasti ?* Item libro quinto in epistolam ad Romanos cap. VI. *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur , & super ipsum velut super petram fundaretur Ecclesia , nullius confessio virtutis ab eo nisi caritas exigitur.* Idem apud Eusebium libro VI. hist. eccl. cap. XXV. Πέτρος ὃ ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χεῖρον ἐκκλησία , ἧς πύλαι ἄδου & καρπύσουσι. *Petrus , super quem aedificata est Christi Ecclesia , contra quam inferorum portae non prevalebunt.*

Basiliius libro secundo contra Eunomium
I iij

miam, ut doceret appellationibus nomi-
 num non solas rerum substantias sed pra-
 cipue proprietates designari, hoc exem-
 plo disputationem suam illustrat. ὅταν γὰρ
 ἀκούσωμεν πέτρον, ἢ τὴν ὄσιν αὐτῶν νοῶμεν οὐ
 τὸ ὄνομα, ἀλλὰ τὸ ἰδιώμα των ἀπὸ αὐτῶν
 θεωρεῖται τὴν ἔννοιαν ὁρτυπούμεθα. εὐθὺς γὰρ οὐ
 φωνῆς ταύτης νοοῦμεν πέτρον τὸν ἰωνᾶ, τὸν
 βηθσαῖδᾶ, τὸν ἀδελφὸν ἀνδρέου, τὸν ἀπὸ ἀλιεῶν
 εἰς τὴν διακονίαν τὴν ἀποστολῆς περικληθέντα, τοῦ
 διαπίστεως υπερχῆν ἐφ' ἑαυτὸν τὴν οἰκοδομίην τῆς ἐκ-
 κλησίας δεξάμενον. Hinc est ut cum Petrum,
 nomen videlicet hoc audiamus, non substantiam
 ejus intelligamus, sed earum, proprietatum qua-
 circa ipsum inspicuntur sensum concipimus. Il-
 co enim per hanc vocem intelligimus Iona fi-
 lium, qui fuit ex Bethsaida, Andreae fra-
 trem, qui ex piscatore in apostolatus ministe-
 rium vocatus est; qui quoniam fide praesta-
 bat, Ecclesiae aedificationem in se ipsum recepit.

To. I. pag.
869.

Idem ad caput secundum Esaia ad ver-
 ba illa, Erit in novissimis diebus manifestus
 mons Domini, postquam ostendisset super
 Apostolos tamquam supra montem aedi-
 ficatam Ecclesiam, id peculiariter tribuit
 Petro. ὅταν ὁρῶν ἰὼν καὶ πέτρος, ἐφ' ἧς καὶ πέτρος
 ἐπιθήσειατο ὁ κύριος οἰκοδομήσειν αὐτὴν τὴν ἐκκλη-
 σίαν. Vnus ex montibus erat Petrus; super
 quam petram pollicitus fuerat Dominus suam
 se aedificaturum Ecclesiam.

Gregorius Nazianzenus oratione xxvi. Pag. 453.

ὁρᾷς τὴν Χειρὸς μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν
 καὶ τὴν ἐκλογῆς ἀξίων, ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ οὗτος
 θεμελίος τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται. *Vides quem-*
admodum ex Christi discipulis, magnis utique
omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic
petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in
fidem suam accipiat.

Chrysostomus sæpe Petrum vocat fun-
 damentum Ecclesiae & primum atque co-
 rynthæum apostolici cœtus, ut libro ad
 eos qui scandalizati sunt. Pag. 968.

πρῶτον τῶν ἀπο-
 στόλων, ἡ κρηπίδα τῆς ἐκκλησίας, τὸν κορυφαῖον
 τῶν χειρῶν τῶν μαθητῶν. *Primum Apostolorum, fun-*
damentum Ecclesiae, principem cœtus discipu-
lorum. Sermone primo de decem millium
 debitore. πέτρος ὁ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων κερυ- Pag. 6.

φαῖος, τὸ εἶδος τῶν μαθητῶν, ὁ εἶδος τῆς ἐκκλησίας,
 τὸ στέμμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος,
 ὁ τῆς οἰκουμένης ἀλιεύς. *Petrus chori Apostolo-*
rum princeps, os discipulorum, columna Eccle-
siae, firmamentum fidei, confessionis fundamen-
tum, orbis terrarum piscator. Idem homilia
 quarta de verbis Esaiæ. τί ἢ ὁ πέτρος ἡ κρη- Pag. 369.

πίς τῆς ἐκκλησίας. *Quid autem Petrus basis*
Ecclesiae? Item homilia secunda in psal- Pag. 1004.
 mum quinquagesimum. ὁ εἶδος τῆς ἐκκλη-
 σίας, ἡ κρηπίς τῆς πίστεως, ἡ κεφαλὴ τῶν χειρῶν τῶν
 ἀποστόλων, ὁ πέτρος. *Columna illa Ecclesiae, illa*
fidei basis, illud apostolici chori caput, Petrus.

Heic Mar-
ca admo-
nuit viden-
dum esse lo-
cum & e-
mendand-
um.

Illustris est Epiphaniij locus in Ancora-
to cap. IX. ἔδει τὸν ὄρωτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέ-
τραν τὴν περεάν, ἐφ' ἧς ἡ ἐκκλησία τῆς Θεοῦ ἀνοδο-
μηται, καὶ πύλαι ἁΐδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.
πύλαι ἧς ἁΐδου αἱ αἱρέσεις καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι. καὶ
πάντα γὰρ τρέπον ἐν αὐτῷ ἐπερεώθη ἡ πίστις, ἐν
τῷ λαβόντι τὴν κλεῖν τῶν οὐρανῶν, ἐν τῷ λύοντι ἔπι
τῆς γῆς, καὶ δεόντι ἐν τῷ οὐρανῷ. Sic enim ei qui
inter Apostolos primus esset consentaneum erat,
solidæ inquam illi petrae supra quam est Eccle-
sia Dei fundata, & portæ inferi non prævale-
bunt illi. quarum portarum nomine hæreses &
hæreseon conditores intelliguntur. Omnibus quip-
pe modis in eo stabilita fides est qui cæli cla-
ves accepit, qui & in terra solvit & ligat in
cælo.

Cyrillus Alexandrinus libro primo in
Ioannem cap. I. pag. 131. σίμωνα μὲν οὐκέτι
καλεῖσθαι συλχαρεῖ. φερωνύμως ἧς ἀπὸ τῆς πέτρας
μετωνόμαζε πέτρον. ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτῆς
θεμελιοῦ ἐκκλησίαν. Simonem eum jam non
vocari patitur; sed congrua similitudine Pe-
trum à petra vocari placuit, putà super quem
fundaturus erat suam Ecclesiam.

Pag. 143.

Asterius Amasæ Episcopus, cujus ube-
riorem locum alium inferius ponemus,
in oratione de Petro & Paulo. αὐτὸς τε
οὐκ ἄμοδις ἀπῆλθε, οὐδὲ ἀγέραςτος. μακα-
ρειος ἧς ὀνομαθεῖς ὡς καὶ ἔσθ' ὄντως μακαρίου, πέ-
τρα καλεῖται τῆς πίστεως, καὶ θεμελιος καὶ ὑπο-

Ἐδὲν ἔχει τὸν ἑκκλησιαστικόν. Ille verò haud
 indonatus abiit ac sine præmio; quin potiùs ab
 eo beatus nuncupatus qui eximiè beatus est,
 fidei petra appellatur, fundamentumque ac ba-
 sis Dei Ecclesiæ.

XXIX. In eandem sententiam con-
 spirant patres Latini vetustiores. Tertul-
 lianus libro de præscriptionibus cap. XXI.
Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ
petram dictum, claves regni cælorum consecu-
tum, & alligandi in cælis & in terris pote-
statem.

Cyprianus epistola LXXI. *Petrus, quem*
primum Dominus elegit, & super quem ædifi-
cavit Ecclesiam. Idem epistola XL. Deus
unus est, & Christus unus, & una Ecclesià, &
cathedra una super Petrum Domini voce fun-
data. Et alibi,

Hieronymus libro primo adversùs Pe-
 lagianos cap. IV. & in caput XVI. Mat-
 thæi: *Secundùm metaphoram petræ rectè di-*
citur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te.

Zeno Veronensis Episcopus in sermo-
 ne de circumcissione: *Non sine ratione Si-*
moni, super quem ædificavit Ecclesiam Chri-
stus, Petrus nomen imposuit.

Hilarius Episcopus Pictaviensis cano-
 ne XVI. in Matthæum: *O in nuncupatione*
novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dig-
naque ædificatione illius petra quæ infernas

leges & tartari portas, & omnia mortis claustra
dissolueret. O beatus cœli janitor, cuius arbitrio
claves æterni aditus traduntur, cuius terrestris
iudicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut
quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti
ejusdem conditionem obtineant & in cœlo. Idem
in psalmum CXXXI. Petrum, cui superius
claves regni cœlorum dederat, super quem Ec-
clesiam ædificaturus erat, aduersus quam por-
tæ inferi nihil prævalerent, qui quæ in terra
vel solvisset vel ligasset, ea in cœlis vel soluta
persisterent vel ligata. Et in psalmum CXLI.
Adeo ut & firma superædificandæ in ea Ecclē-
siæ petra trepidaret.

Ambrosius in versibus ab Augustino lau-
datis: Hoc ipsa petra Ecclesiæ canendo cul-
pam diluit. Idem ad caput XXI. Lucæ,
ad illa verba, Ego rogavi pro te, ait: Eidem
autem supra dicenti, Tu es Christus filius Dei
vivi, respondet: Tu es Petrus, & super hanc
petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi da-
bo claves regni cœlorum. Ergo cui propria auc-
toritate regnum dabat, hujus fidem firmare non
poterat; quem petram dicit, firmamentum Ec-
clesiæ judicavit.

Augustinus in psalmo contra partem
Donati, loquens de cathedra Petri in
Romana Ecclesia: Hæc est illa petra quam
non vincunt superbiæ inferorum portæ. Idem
sermone xv. de sanctis: Petrum itaque ser-

amentum Ecclesie Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici aedificij altitudo consurgit. Sed de illius sententia statim dicemus.

Leo I. sermone secundo in anniversario die assumptionis suae. Manet ergo dispositio veritatis; & beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Sic enim praeteris est ordinatus ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni caelorum janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione praeficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus.

Auctor libri de vocatione gentium lib. II. cap. XXVIII. de Petro ait. Hanc fortissimam petram, quae ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis.

XXX. Hac interpretatione posita ut vera & genuina & a constanti traditione manante, facile est demonstrare superimpositas alias non nocere veritati. Origenes quippe postquam docuit Petrum esse petram illam cui Ecclesiae aedificium imponitur locis laudatis, adnotat tractatu primo in caput XVI. Matthaei morali quoque sensu fidelium unumquemque qui rectam fidem a Christo

edoctus profiteatur & pietatis operibus confirmet, Petrum atque petram dici posse, atque in se ædificare Ecclesiam, id est, eam quæ ab Ecclesia docetur vitæ institutionem. Tantum autem abest ut locus iste priori explicationi officiat ut ei potius innitatur. En verba Origenis quæ id evincunt, docentque τὸ πρῶτον pollicitationis Domini Petrum respicere, sed mentem sive διδωσιν aut, sicut ille loquitur, spiritum Christi, ad unumquemque fidelium pertinere. *Evangelij quidem scriptum habet ad illum Petrum; ut verò docet illius spiritus, ad quemvis qui talis factus fuerit ac Petrus.* Literaliter ergo ista intelligenda sunt de Petro, sed spiritualiter & morali sensu de fidelibus, eodem Origene interprete hoc ipso loco qui objici solet ad evertendam propriam illam interpretationem.

Eundem spiritalem sensum ex Origene mutuatus Ambrosius, licet assertor quoque literalis, libro VI. in Lucam cap. VI. *Qui carnem vicerit, Ecclesie fundamentum est; & si æquari Petro non potest, imitari potest.* Quibus verbis satis indicatur spiritalem sensum literali superadditum, non autem æquatum.

XXXI. Alteram quoque explicationem primæ non contrariam, quin potius illam complectentem, addunt plurimi

veterum, nempe per petram intelligi fidei à Petro editæ de Christi divinitate confessionem. Sic loquitur Hilarius libro sexto de trinitate, Epiphanius hæresi LIX. Cyrillus libro quarto in Isaiam, Chrysostomus homilia LV. in Matthæum, idem homilia secunda in psalmum quinquagesimum, Ambrosius libro sexto in Lucam, Gregorius magnus lib. VII. Indict. II. epist. LIII. & libro quinto Moralium cap. VII. Adrianus I. epist. III. Nicolaus I. epist. II. Ioannes VIII. epist. LIV. & plerique mediæ ætatis auctores. Non est quòd tempus teram in refricandis testimonijs Hilarij, Epiphanijs, Cyrilli, Chrysostomi, & Ambrosij, aliorumque qui petram de Petro interpretantur; ac proinde sibi ipsis contrarij censendi non sunt, quin potiùs utramque explicationem in idem recidere re ipsa eos existimasse dubium non est. Vulgò sic distingunt, formaliter petram dici de Christo, sed causaliter de fide. Rem apertiùs exponemus & mysterium Christi pandemus, ut puto, si dicamus in ea explicatione patres non tantùm respexisse quòd Petrus pro confessionis suæ præmio hanc nominis petræ prerogativam tulerit, quamvis illud passim fateantur, sed rationem indicasse qua fieri possit ut Petrus positus sit pro fun-

damento Ecclesiæ. Nempe ex se infirmus homo id præstare non poterat, nisi quatenus patre cælesti ejus mentem impellente, Christum filium Dei palam professus est: cujus confessionis beneficio ascitus est statim à Christo in nominis & officij participationem quandam; ita ut quemadmodum Christus est verum & principale fundamentum Ecclesiæ, præter quod nemo aliud ponere potest, sic Petrus ex beneficio Christi sit petra & fundamentum Ecclesiæ opere externo ædificandæ confessione illa cum Christo conjunctum, adeo ut secundum istud fundamentum intelligi non possit nisi quatenus est conjunctum cum primo.

I. Cor. 10.

Istius explicationis idoneos auctores proferimus Epiphanium & Augustinum & alios, qui suis verbis sententiam à nobis propositam exprimunt. Epiphanius hæresi LIX. cap. VII. *ὁ δὲ γεννησάμενος παρὸς ἁγίον πέτρον ὁ καὶ κορυφαίωτος τῆς ἀποστόλων, ὅς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερὰ πέτρα θεμελιώσα τῆς πίστεως καὶ κελου, ἐφ' ἣν ὠκοδόμητο ἡ ἐκκλησία καὶ πάντα πρόπον. πρῶτον μὲν ὅτι ὠμολόγησε Χεῖρὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ ζώντος, ἃ ἤκουσε ὅτι ὅτι ταύτη πέτρα τῆς ἀσφαλῶς πίστεως ὠκοδομήσω τῆς ἐκκλησίας μου. Itemque princeps Apostolorum Petrus, qui Dominum aliquando negavit, qui quidem solidæ petreæ instar nobis extitit,*

cui velut fundamento Domini fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus extructa est. in primis quidem quòd Christum Dei vivi filium esse confessus est, idque vicissim audiit: *Supra hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petrus dicitur petra *Ἰεμελιος-ου ἡ πέτρα*. Quare intelligi non potest Petrus sub ratione petræ & fundamenti nisi quatenus conjungitur cum veræ fidei de Christo professione.

Augustinus enarratione in psalmum LXIX. considerat Petrum ut petram confessioni fidei conjunctam. *Petrus, qui paulò antè Christum confessus erat filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra supra quam fabricaretur Ecclesia &c.*

Itaque eleganter Ambrosius in libro de incarnatione cap. v. promissionem illam factam Petro non de carne Petri, id est, quatenus homo privatus erat, intelligendam ait, sed de fide quam monitus à patre publicavit, id est, de Petro conjuncto cum confessione primæ illius & principalis petræ. *Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri sed de fide dictum est quia portæ mortis ei non prævalebunt; sed confessio vincit infernum. Et hæc confessio non unam hæresim excludit. Nam cum Ecclesia multis, tamquam bona navis, fluctibus sæpe tundatur, adversum omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum.*

XXXII. Conciliandi ergo patres cum iisdem patribus hæc est ratio, ut dixi, si discernamus Petrum hominem privatam à Petro instinctu numinis loquente. Hoc secundo modo acceptus, evadit beneficio Christi firmamentum fidei & confessionis fundamentum, ut loquitur Chrysostomus, cujus hæc sunt verba in homilia prima de decem milium debitore: πέτρος ὁ τῆς χροῦς τῆς ἀποστόλων κορυφαῖος, τὸ σῶμα τῆς μαθητῶν, ὁ σῶλος τῆς ἐκκλησίας, τὸ στέρωμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τῆς οἰκουμένης ἀλιεύς. *Petrus chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator.* Atque eo modo Ecclesia illi superædificabitur, non ut homini, (quemadmodum docet alibi Chrysostomus sermone de Pentecoste) sed super fidei confessionem. *Quid est super petram? hoc est super confessionem.* Qui hos duos loquendi modos alibi una periodo complectitur & reducit ad concordiam, nempe homilia LV. ad caput XVI. Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc ædificabo Ecclesiam meam.* τουτέστι, τῆς πίστεως τῆς ὁμολογίας ἐντεῦθεν δείκνυσι πολλοὺς μέλλοντας ἤδη πιστεῦσαι, καὶ ἀνίστησιν αὐτῶν τὸ φερόντα, καὶ ποιμένα ποιῆσαι. *id est, fidem atque confessionem.* Hic aperit prædixit magnam eorum qui credituri & erant

Et sunt multitudinem fore, Et sublimiora facere ipsum facit, Et Ecclesie pastorem constituit. ac si diceret Petrum Christo & fidei à se professæ innixum, illius publicandæ in Ecclesia & pastorali regimine conservandæ principalem Christi ministrum futurum & gregis pastorem.

XXXIII. Quare plerique veterum compendio verborum, non solum confessionem fidei, sed Christum ipsum, qui petra dicitur, & à quo Petrus petrae nomen habuit, apud Matthæum significari docuerunt; ut Hieronymus libro adversus Iovinianum, libro 1. in Matthæum cap. 1. & in Isaiam cap. L I V. Augustinus tract. XX I V. in Ioannem, sermone tertio de verbis Domini. Quod non impedit quin sensu literali Petrus dictus fuerit petra; sed ostendit alio modo non esse petram nisi quatenus Christo à se confesso jungitur, eumque pro primo fundamento supponit, à quo etiam nominis communicationem sumpsit. Petrae nomen utramque petram complectitur, Petrum quidem sensu literali directo, Christum autem excellentiore sensu & necessario. Vnde Petrus dictus est ab illa petra allegorica. Hieronymus libro tertio in Hieremiam cap. XVI. *Non solum Christus petra, sed & Apostolo Petro donavit ut*

vocaretur petra. In eandem sententiam passim patres, ut Tertullianus libro quarto contra Marcionem, Ambrosius lib. vi. in Lucam cap. ix. Augustinus in psalmum lv. & plures alii quos in re manifesta omitto.

Quoniam autem opponi solet Augustinus, ac si generaliter receptam illam explanationem de Petro improbaret, adducenda sunt illius verba ex libro primo retractationum cap. xxi. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro quòd in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia. qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesie canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quòd a Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc petram intelligeretur quem confessus est Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesie figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni celorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed, Tu es Petrus. Petra autem erat Christus quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Vides ut neutram rejiciat, at-*

que in differenda ea quam secundo loco secutus est ratio grammaticæ eum fefellerit, cum petram aliud esse à Petro ex lingua Syriacæ ignoratione putaverit. Sed duæ istæ sententiæ re ipsa, ut dixi, in unam concurrunt & conspirant: Petra sensu literali & ab universali Ecclesia probato Petrum significat, sensu conjuncto & sublimiori Christum ut primam petram, sine quo Petrus non potest intelligi esse petra. Conjunctio ista literalis sensus & excellentioris non est nova in scripturis, tum in psalmis, tum alibi: Eadem verba directè referuntur ad Davidem & ad Salomonem, & sensu sublimiori ad Christum. Sed in quæstione præsentis conjunctus ille sensus est necessarius ex connexionem quoque grammatica rerum significatarum cum verbis: Petra enim significat Petrum quatenus recipit communionem nominis à Christo, ob petram illam principalem, promovente patre, fideliter celebratam. Petra ergo prima connectitur cum secunda. Vnde fit ut illa veræ fidei sit origo, ista ex Christi constituto eam ministerio suo fulcire debeat quam confessione promulgavit.

XXXIV. Quæ ut manifestiora fiant, necessum est ut hic explicemus quod veluti sacrilegum nefas objici solet, quæ ratio

1. Cor. 3.

tione Petro competat ratio fundamenti, cum Christus dicatur Apostolo esse solum fundamentum præter quod aliud nemo ponere potest. Sanè cum Ecclesia templo & ædificio comparetur, illius moles non potest inniti nisi Christo, qui est ejus auctor & conservator; imò verò ut perstemus in eadem comparatione, est caput anguli, ut de se ipse loquitur Matthæi XXI. id est juxta Paulum angularis

Ephes. 2.

lapis, ἀκρογωνιαίος λίθος, id est, lapis in angulo ædificii positus, à quo angulatae structuræ initium ducunt, in quo est tota vis sustinendi ædificii. Quare religio Christiana ejus personæ, meritis, & doctrinæ superstructa est. Attamen propagari debuit hominum ad hoc à Christo selectorum ministerio. Illi autem aliquando architecti dicuntur, atque adeo ponere Christum pro fundamento, ut Paulus de se testatur ad Corinthios. Aliquando verò ipsi quoque dicuntur fundamenta, quoniam eorum ministerio compago illius ædificii superponitur. Sic Paulus ad

Ephes. 2.

Ephesios ait eos superædificatos fuisse supra fundamentum Apostolorum, id est, doctrinæ Christi per Apostolorum ministerium. Itaque cum voces istæ per translationem usurpentur, aliis aliter apparentur. Christus est fundamentum, sed

verè & propriè, & lapis angularis. Apostoli quoque sunt fundamenta ratione ministerii, dicto loco ad Ephesios & Apocalypsis XXI. Eadem ratione Petrus est fundamentum ratione ministerii, cum hoc tamen discrimine quòd ipsius ore Christi hoc nomine fuerit ornatus, adscitusque in petrae communionem, adeoque sit specialius & principalius fundamentum in ratione ministerii quàm sint reliqui Apostoli.

XXXV. Comparationem fundamenti, quatenus Christo conveniat & Petro, satis superque explicuimus in enarratione locorum quos è patribus protulimus. Illis tamen adjungemus testimonium illustre antiqui illius Asterii Amaseæ Episcopi oratione in Petrum & Paulum. Ησαίας μὲν οὖν φησὶ περὶ τῶν ἀποστόλων, ὅτι λίθον ἀκρογωνιαῖον ὁ πατὴρ ἔθηκε τὸν υἱόν. ἐνδεικνύμενος ὡς ἡ πᾶσα ἔκδοσις τοῦ κόσμου σύστασις, ἐκείνον ἔχει τὴν ἑδραν, ὡς τὴν κρηπίδα. ὁ δὲ μονογενὴς πάλιν, καθὼς ἐν εὐαγγελίοις φησὶ, θεμέλιον τὸν Πέτρον, ὀνομάζει τὴν ἐκκλησίαν. οὐ εἶπε Πέτρος, ἀλλ' ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. πρῶτος γὰρ ἀληθῶς οὗτος, ὡς περὶ τὸν λίθον μέγαν καὶ καρτερὸν ἐνεργήσῃ τῇ ἑκδοσὶ τοῦ κόσμου τούτου κοιλότητι, ἢ τῇ κοιλადὶ τῆς κλαυθμῶνος, ὡς φησὶν ὁ Δαβὶδ· ἵνα πάντας χειτανούς ἐποικοδομουμένους βασιάσας, ἀναγάγῃ πρὸς ὑψος, ὁ δὲ ἐλπίδος ἡμῶν ὅτι οἰκηθήμεν. θεμέλιον ἀλλ-

Page. 127.
Isai. 28. v.
16.
Matth. 16.
v. 12.
Psal. 83. v.
7.
1. Cor. 3.
v. 11.



λον οὐδείς δύναται θεῖναι, ὡς τὸν κείμενον, ὃς ἔστι
 Ἰησοῦς Χριστός. τῆ ὁμοίᾳ ἢ κλήσει ὁ σωτὴρ ἡμῶν
 καὶ τὸν πατρὸς αὐτοῦ μαθητὴν κατεκόσμησε, πέ-
 τρω ὀνομάσας τὴ πίστεως. διὰ Πέτρον τοίνυν, ἀπα-
 ποτον, καὶ ἀκλίνας τὸ τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἔδρασμα σά-
 ζεται γνήσιον, καὶ πιστὸν χυόμενον τὴ εὐσεβείας μυ-
 σαγωγόν. διὰ τὴ οἰκοδομίαν ἢ τὸ δικαίου ἐστήκαμεν
 ἐρριζωμένοι, οἱ ἀπὸ ἀνίχοντος ἡλίου, μέγρι καὶ
 δυσμένου, Χριστιανοί. πολλῶν ἢ πειρασμῶν κιν-
 θέντων, ἀφ' οὗ κατηγέλη τὸ εὐαγγέλιον, καὶ μυ-
 είων τυραννῶν καὶ παρὰ σκείνων, καὶ διαβόλου κα-
 τὰ τῆσιν θελήσαντος εἰς ἔδαφος, καὶ καθελεῖν ἡμῶν
 αὐτοῖς κρηπίδῃμασιν· οὐδὲν ἰχυρότερον ὡφθη τὸ
 κατὰ Θεὸν ὀχυρώματος· ἐπειδὴ τὸ ἀγίας παλάμης
 τὸ πρῶτον τὸ ἀποστόλων κατεσιδῶσθε τὸ τὴ πί-
 στεως οἰκοδομημα. *Sanè verò Isaias vaticinio
 ait posuisse patrem filium lapidem angularem,
 nimirum significans mundi totam concretionem
 illo fundamento ac basi nixam esse. Quin et
 rursum unigenitus, uti sacris evangelii libris
 conscriptum est, Petrum Ecclesiae fundamentum
 dicit: Tu es Petrus, et super hanc petram
 aedificabo Ecclesiam meam. Primus enim ve-
 vera hic, ceu grandis quidam ac durus lapis, in
 mundi hujus cava demissus est, sive in convallem
 plorationis, quemadmodum David ait, ut Chri-
 stianos omnes superaedificatos portans, in subli-
 me, nempe ad spei nostrae domicilium, subvehat.
 Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter
 id quod positum est, quod est Christus Iesus.*

Sed & simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. Per Petrum ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, Ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit. Iusti porrò ædificatione radicati stamus, qui ab ortu solis ad usque occasum sumus Christiani. Planè cum à tempore annuntiationis evangelicæ multæ increverint tentationes tyrannique nos innumerabiles, ac illis prior, diabolus, funditus destruere atque à fundamentis evertere conati sint, decurrerunt flumina velut torrentes, inquit salubris ac sacra scriptura, vehementes diabolicorum spirituum venti irruerunt, copiosi ac immensi persequentium Christianos imbres impetu defluerunt, nec quicquam tamen divino potentius visum est munimine, quòd nimirum fidei ædificatio sacris primi Apostolorum manibus extructa esset.

XXXVI. De hac interpretatione, quæ Petrum petræ dictione significari ostendit, hæc sunt verba Antonii de Dominis: *Hanc itaque interpretationem petræ pro ipsomet Petro, ut fortasse literæ congruentem, admitto nunc & probo, ita tamen ut duæ illæ sanctorum patrum interpretationes, quæ petræ vocabulo vel Christum intelligunt vel fidem & fidei divinitatis Christi confessionem, adhuc ut probabiles maneant, & nihil catholice Ecclesie contrariæ, licet hanc de Petri*

Lib. i. c. 6.
§. 25.

persona illis probabiliorē esse concederemus.
 Nos verò jam ostendimus duas istas explicandi rationes connecti & necessariò cohærere cum prima.

XXXVII. Antequam discedam à disceptatione hujus loci, opportunum videtur his quæ jam adnotata sunt subjungere genuinam hujus periochæ explanationem: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Certum quidem est primis verbis significari evangelii ministerium sive cathedram principaliter in Petro collocandam, & ultimis Ecclesiam non esse vincendam ab hæresibus & schismatibus; quæ sunt præcipuæ inferorum portæ, sive aditus ad certam damnationem, cum hæretici sint *ἄποστολοι καὶ ἄκριτοι*, ut loquitur Apostolus. Vnde sequitur infallibilem esse Ecclesiam in oppugnandis hæresibus earumque sacrilegis erroribus refellendis & cum auctoritate plenissima atque certissima damnandis. Alioqui vinceretur ab hæresibus contra diserta verba Christi; quorum explanationem videtur suscepisse Paulus in epistola prima ad Timotheum cap. III. *Quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis, σῦλος ἡ ἐσθλαῖωμα τῆ ἀληθείας.* Ut singuli fideles sunt

templum sive domus Dei, sic templum quoque erit cœtus fidelium, qui dicitur Ecclesia Dei viventis: quæ quidem Ecclesia vice columnæ & basis sustentat veritatem ut partem superam ædificii. Etenim ab Ecclesia Christi veritas abesse non potest, nec à fidelium cordibus, nec ab ore pastorum, qui soli jus habent à Christo gentes docendi. Univerſi ergo primarii pastores verbis & re conjuncti, qui Ecclesiam universalem repræsentant in auctoritate magisterii, ab hæresibus expugnari non possunt, ea conditione adjecta quam exhibet hic locus evangelii, si sint ædificati supra petram, supra cathedram Petri. Portæ itaque inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam Christi, ædificatam nempe supra petram. In communione ergo istius cathedræ & cum præcipua illius auctoritate & firmitate tractanda sunt illa omnia quæ Ecclesiæ unitatem aut retinere aut infringere possunt; tuncque certæ atque omnino indubitatæ erunt rerum controversarum decisiones. Cujus rei exemplum habemus illustre in disputatione illa de ritibus legalibus, an scilicet gentiles recenter ad fidem conversi, eorum observationi subjiciendi essent. Quæ controversia Antiochiæ nata, à Christianis per Paulum &

Act. 15.

Barnabam Hierosolyma delata est ad Petrum & Iacobum Apostolos ea in urbe degentes. Quid verò Petrus loci sui & officii memor tunc egerit docent Acta. Conventum Apostolorum & Presbyterorum id est Episcoporum cogit, de negotio controverso relationem facit, primam sententiam dicit rem definiendo, ut solebat Imperator in senatu; quam Iacobus sequitur, exceptione aliqua addita; & de omnium suffragio decretum conditur ex sententia spiritus sancti mentes suffragatorum illustrantis. Illius quippe auxilia pastores non destituunt qui à petra soliditate non recedunt, ut loquitur Leo primus.

XXXVIII. Ex hac quam explicuimus definitione manat alia non minus certa, nempe penes illas Ecclesias non esse indubitata spiritus sancti præsidia in dirimendis de fide controversis quæ alienæ sunt à communionem Petri. Propterea sequitur plurium Ecclesiarum infaustam scissionem, quæ lugendo schismate vel impia hæresi corpus Ecclesiæ universalis dividit, non impedire quin illæ quæ supersunt, conjunctæ cum petra, corpus univrsum repræsentent, & absque suspitione erroris fidem tueri decretis suis unâ cum Petri cathedra firmiter & infallibi-

liter possint, cū Ecclesia supra Petrum
ædificata promissionibus Christi nitatur
ad vincendas portas inferi,

DIATRIBA DE TEMPORE
*synodi Sirmiensis plenariæ, & de Valentis
& Ursacij venia.*

I. **D**ISSIDIUM sententiarum in con-
stituendo Sirmiensis synodi tem-
pore videtur aliquo pacto componi posse,
si recta Hilarij verbis interpretatio adhi-
beatur. Socrates ait disertè synodum il-
lam coactam fuisse post consulatum Sergii
& Nigriniani, quod anno ccccli. com-
petit. Ejus testimonio fidem habet V. C.
Petavius in suis animadversionibus ad Epi-
phanium, & in dissertatione de damna-
tione Photini. Sed quia idem Socrates
Osiij lapsum in hanc synodum Sirmiensem
conjicit, lapsus autem ille & consensus
in Arianam impietatem ab eo sene post
ipsum ad civitatem Sirmiensem relegatio-
nem, quæ anno cccclvi. competit, ex-
pressus est Constantij artibus & minis, Ba-
ronius, Socrati hac in parte adhærendo,
à Socrate ipso discedendum putavit in
constitutione temporis hujus synodi. Eam
ergo collocat ad annum qui sequitur Osiij

*Socrates libi
I. c. 24.*